




Kern 3481 (i-ii)

538





1

# DE LAVDE MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM RESTRINGENDA

---

ILLVSTRIS AC GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E  
**D. IO. FR. GOITL. GOLDHAGEN,**

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE NATVRALIS  
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, CIRCVLI SALICI,  
COMITATVS MANSFELDENSIS ET CIVITATIS  
HALLENSIS PHYSICO

PRO  
GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
SOLEMNITER CONSEQVENDO

AD DIEM XXIX. SEPTEMBER. CIJOCCLXXXIV.

H. L. Q. S.

P V B L I C E D I S S E R E T  
A V C T O R  
**I S A A C D A V I D L E V I**  
HALLENSIS.

---

HALLAE  
TYPIS FRIDERICIGI DANIELIS FRANCKE.

**I**n duo capita colliguntur auxilia, quorum  
*alterum cognitionem corporis, cui auxilium admis-  
etur, alterum ipsum auxiliorum usum continet.*

GAL. de Conf. Medic.

VIRIS  
MORVM ELEGANTIA  
VIRTVTVMQVE LAVDE CONSPICVIS,  
DN. BARVCH ARON  
LEVI,  
LIPSIENSIS,  
ET  
DN. BARNET WOLFF,  
HALLENSIS,  
FAVTORIBVS SVIS,  
OPTIME DE SE AC FORTVNA SVA MERITIS,  
PRIMITIAS HAS ACADEMICAS  
CEV GRATI ANIMI DOCUMENTVM  
OFFERT  
AVCTOR.

AIRIS  
MOLYNE LIEGENLIV  
ARTATAGARLVADE COASPECAZ  
DN BARUCH ARON  
IHEA  
TITZELINSI  
ET  
DN HABIBI MOLY  
HALFELINSI  
TAVADOTRIBA SAVIS  
OTIPIHUA AVA TONTAYA AVA MULHIFI  
PRINCEPS ILLA AGHENEMEZ  
CEA GESTI ANIME DOGAMENIA  
OLOTE  
SACRED



PRAEFATIUNCULA.

**L**ibellum academicum conscri-  
pturus, nescius equidem, quodnam po-  
tissimum sumerem mibi argumentum,  
de arte cogitabam, formulas concin-  
nandi medicas. Sed, ut, quid sentiam,  
ingenue fatear, talis mibi visus est huius  
artis conditio, ut facile ea carere pos-  
sit, qui Materiae Medicæ et Chemiae  
fundamentis rite instructus, naturam  
fautricem habuit in distribuendis  
animi dotibus; nam qui ingenio desti-  
tuitur ac iudicio discretivo, nec va-  
cuus iste erit, dum artem exercebit,  
periculo, quamvis praeceptis, quae

For-



*Formulare tradit, generalioribus imbutus. At superest hactenus, quae minus lucide appareat, neglecta fere ab omnibus, sed digna, quam animadvertis, mixtionis medicamentorum theoria. Tantum equidem absim, ut in apricum me eam posuisse profitear, ut laudem mihi duxerim summam, dummodo eruditioris me viri diligentiam in ea elaboranda exstimulaverim; quae si rite fuerit culta, egregios inde fructus redundatuuros esse in praxin, quis non intelligit?*

---

§. I.

§. I. **A**rtifici medico, ut aegritudinem exscindat, non inveniendi tantum ratione, sed auxiliis opus est, quae tria suppeditant naturae regna, *vel* usibus medicis commoda, *vel* arte demum preparanda. Contenta quidem in hac rerum natura necessitatibus hominum sublevandis inserviunt omnia; sed varia est eorum ad vitam sanitatemque relatio. Ut a vegetabilibus exordiar, ea prima erant hominum nutrimenta, tum quod manu largiore ea exhibuit benigna natura, tum quod frui ipsis homines queunt sine multo artis impendio; ex quo affinitas colligi poterit inter naturam vegetabilium illamque corporis humani proxima, nam *sola naturae placuerat*, ut Plinius a) optime monuit, *esse*

A 4

re-

a) Hist. nat. XXIV. I.



*remedia paratu facilia ac sine impendio, ex quibus vivimus. Postea fraudes hominum et inge-*  
*niorum captureae officinas invenere istas, in qui-*  
*bis sua cuique venalis promittitur vita, statim*  
*compositiones et mixturae inexplicabiles decan-*  
*tantur, Arabia atque India in remedio aestima-*  
*tur, ulcerique parvo medicina e rubro mari im-*  
*putatur, cum remedia vera quotidie pauperrimus*  
*quisque coenet. Animalia quidem a vita*  
*hominis conservanda remotius distant, et*  
*haec mihi caussa finalis fuisse videtur, cur*  
*in iis producendis parsimoniam quamdam*  
*adhiberet natura, nec sine artis et dili-*  
*gentiae adminiculo usum eorum admitte-*  
*ret hominibus, si quidem a lacte discesse-*  
*ris, ad naturam vegetabilem proprius ac-*  
*cedente; attamen regni animalis aequa ac*  
*vegetabilis obiecta vitam et sanitatem,*  
*praestando nutritionem, conservant, cor-*  
*pori facile apponuntur, haud aegre com-*  
*mutantur in partes corporis constitutivas,*  
*nec, nisi in eo differunt, quod corporis*  
*ad putredinem nisum esculenta animalia*

ad-

adiuent, coercent vegetabilia. Quoad mineralia, naturae corporis humani ea quidem sunt maxime dissimila; omnis eorum actio in irritatione mechanica consistit, et tantum abest in universum, ut vitae conservationi sint destinata, ut sanitatem potius imperfectam reddant; hinc sapientissimo factum est instituto, ut ea hominibus largiretur natura minus parata usibusque commoda.

§. II. Si partium, quae materiam medicam constituunt, origines, fata ac progressus respicias; eo magis tibi elucescet affinitatis naturalis gradatio, quam paragrapho antecedente posuimus. In primis exultam vides Botanicam; antiquissimae enim gentes (nihil nunc interest, medicorum nomen tulerint, qui medicinam aliquam exercuere, nec ne?) cognitas habuere plantas usui externo inservientes, sed admodum mutila erat ista cognitio, donec in tutelam suam reciperent eam phi-



losophi Graecorum medicique, et redi-  
gerent ad scientiae viam. Hippocratem  
non secutum esse eorum exemplum con-  
stat: inter philosophos Eresius erat, He-  
rophili et Erasistrati discipulus, qui sys-  
tematis formam adaptare studeret arti, ma-  
gis vero ut scientiae naturalis, quam me-  
dicinae partem tractabat; inter medicos  
inventus est Dioscorides, qui ad medici-  
nam referret plantarum notitiam, et multo  
atque ampio lucro augeret. Medicamento-  
rum simplicium peritia Graecos omnes an-  
tecelluisse hic dicitur, ac duplo maiorem,  
quam Hippocrates, et qui excurrit,  
plantarum numerum descriptis. Sed nec  
Dioscoridis scripta, nec illa Eresii in utili-  
tatem nostram redundant; primum enim,  
quae in ipsis occurunt, nomenclatura  
scientiam nostram fugiunt; tum, ut so-  
lent veteres botanici, minus curatam de-  
derunt plantarum adumbrationem; omni-  
denique studio stabilire studuerunt id, ut  
medicamentum quoddam esse absolute tale,  
non

non morbi, sed passionis respectu habito, cum idem obiectum, quod in hoc sanitatem conservat, in altero restituit, in tertio laedere possit. Galenus vix quidquam addidit phytologiae augmento, sed operam perdidit in speculationibus argutis et hypothesibus vanis, ut remediorum explicaret virtutes, nec locupletarunt artem, qui ipsum insequebantur, medici; Aetius tamen camphoram, et Aegineta rhabarbarum non ignorasse feruntur.

Romani, cum de re medica non ita omnino sunt meriti, ut debebas exspectare, tum maxime neglexerunt botanicam, ut praeter Plinii librum, qui de viribus plantarum superstitionis multa et ridicula refert, vix aliud huius generis scriptum ad aetatem nostram delatum sit.

Ex Arabum studio non levis cumulus accessit Botanicae, et his multa egregia que accepta debemus medicamenta e vegetabilium genere.

Sed

Sed dignus est, quem lugeas, ut medicinae universae, sic Botanices status sub medicis latinobarbaris; donec in eunte seculo decimo sexto ars herbaria cum ceteris revivisceret, quae medicinam spectant, scientiis. Tantum vero abfuit, ut ad systematis ordinem digererent illam eruditii viri, ut confunderent magis inutili disceptatione; qua demum finita sub initium seculi decimi septimi, lux clarior affulgere studio, cuius et ambitum et classificationem, naturae tamen scrutatori utiliorem quam medico, ad hunc diem mirifice auatarunt egregii in arte viri.

§. III. Hactenus de Botanices cultura; Zoologiae et Mineralogiae non absimilis erat progressus, at serius adhibebantur partium earum obiecta, eorumque usus admodum erat exiguus. Graecorum Aegyptorumque medici pauca habuere simplicia ex animali regno, quae in usum medicum ducerent; post fata Hippocratis

ex-

existere philosophi, qui Zoologiam methodo scientifica colerent, ceu partem historiae naturalis; eminuere hactenus Dioscorides cum Galeno inter Graecos, ex Romanis Plinius. Parum solliciti erant de animalium notitia Arabes, et seculum decimum sextum inter plurimos Zoologiae scriptores, qui mediocritatis limites non excedebant, vix ullum ferebat laude dignum.

§. IV. Nec formam aliam Mineralogia gerit. Pauca ex lapidum genere externe fuere adhibita ab Hippocrate; unus erat Dioscorides, qui mineralogiam medicam amplificaret; Galenus, et qui eum sequebantur, de ea augenda unice securi erant. Tuitus est eam inter Romanos Plinius, sed neglexerunt Arabes, si gemmas miseris, quarum insignes praedicabant virtutes medicas. In medium prodiit seculo decimo tertio Albertus Magnus, qui condideret systema metallorum lapidumque;

plus



plus vero scientiae naturali, quam medicæ attulit. Sub initium seculi decimi sexti cum universa eruditione Mineralogia etiam incrementum cepit, cui ipsa Paracelsi, quod aegre credideris, favebant conamina.

§. V. Quis nescit, temporibus nostris, quibus ingens facta est historiae naturalis accessio, pariter amplificatum esse Materiae Medicæ campum? Farragine medicamentorum obruimur, quam omnia præbent naturae regna; an ideo producta est medicina ad maius fastigium? an olim productum eam iri sperari potest, dum aureum illud negligimus: "non qui multa scit, sed qui utilia sapit?" — Bona naturae diffundimus inconsulte largiendo; non sequimur laudandam illam simplicitatem antiquioris aevi, quae cum artis decremento memoria efflit; omnia male miscendo, simplicium vires negligimus; nec meliores, immo detiores sumus medici, quam Hippocrates

divus

divus, qui paucioribus instrumentis eo plus efficiebat, quo accuratius statum morbosum eiusque phaenomena contemplabatur, ac diaeta magis, quam medicamentis sanabat. Sed invenit aetas nostra, cum superbia clamant, plura, quae antiquitas ignorabat, medicamina? — Nec detrahere volumus de inventorum laudibus; id unum monuisse sufficiat, neglexisse ut plurimum morbos, qui inventi gloriam sibi arrogaverint. In memoriam redigas specifica illa, cicutam, arsenicum, belladonnam, ne alia dicam, quae in dira cancri passione commendabat alter, aegritudini profligandae non sufficere alter clamabat. Vnde nam, quaeso, iste medicorum dissensus, atque incerta medendi ratio? Passio nem hactenus attendebant, non morbum, cuius diversa est natura, quam perperam eamdem fecerunt plerique b). Magna omnino historiae naturalis in medicina laus est atque utilitas; noli tamen in eam de scen-

b) cl. Daniel Systema aegritudinum, T. I. p. 170, 171.



scendere sententiam, omni aegritudini ubique superandae eius obiecta sufficere, quantumvis speciosis titulis insigniverit artificum vaniloquentia, ut lucrum caperet ex credulitate hominum. Non raro, quae sui ablationem requirit, aegritudinis causa manifesta est, nec defunt instrumenta, quibus scopus praefixus ut plurimum obtinetur; at vires remedii in praesentiarum non pares sunt caussae subigendae, quod frequentissime accidit in morbis acutis. Caussa febris putridae non est occulta, omnisque curationis cardo in eo vertitur, ut resistamus putredini. De viribus antisepticis corticis peruviani et camphorae constat; vocantur in auxilium; spemque de iis conceptam non raro frustrantur, quando in eum gradum adaucta putredo est, qui vim medicaminum spernit. Sin haberet remedium, quod *omnem* putredinis gradum superare valeret, febrem putridam *quamcumque* non difficulter sanares. Simili ratione febris inflammatoria in mor-

tem

tem transit, si ad certum quemdam gradum, qui determinari haetenus nequit, euecta est inflammatio; non defunt auxilia, sed non sufficiunt. Hinc recte monuit L. B. de Swieten, omnem inflammationem nascentem sufflaminari posse, modo instrumentum esset, quod una vice sanguinis congesti stasin discuteret.

§. VI. Mirum sane videtur, post Hippocratis tempora non pari ratione in eo elaborasse medicos, ut artis exercitium ad maiorem perducerent certitudinem. Tot abhinc praeterlapsa sunt secula, neque ulla postera aetas virum protulit, qui veritates ediceret tales, quales Prognostica s. Aphorismi Hippocratis continent, ab omni aeternitate repetitas, et per omnem seculorum memoriam sibi constantes. Si quaeris rationem; in eo forte collocanda est, quod nostrates morbos quidem sanatos referre soleant, sed conticescere de non sanatis. Nec Cous se-

B

nex





nex erubuit, nam solo naturam imitandi studio ducebatur, in constitutionibus epidemicis adumbrandis plura morborum, quibus ars mediri non poterat, exempla narrare; ex quadraginta et duobus aegris, quorum historiam libro primo et tertio dedit, viginti et quinque mortuos esse ingenue fatetur; utinam Hippocratis exemplum moribus suis referret aetas nostra!

§. VII. Sed a sermone proposito ne ulterius digrediar, eo nunc me delatum sentio, ut effectus respiciam ex congrua simplicium naturae obiectorum combinatione resultantes. Ab omni inde tempore utramque in viam a natura ductrice deflexisse intelligo medicos, quod *vel* nimium darent incommodis medicamentorum farruginibus, *vel* nimis sequerentur elegantiam simplicitatis gratiamque. Dubius equidem, quamnam potissimum viam caperem, itinere medio ineundum satius duxi.

§. VIII.

§.VIII. Ut finem assequamur nobis propositum in sanationis negotio, id quidem perficimus *vel* simpliciore virtute unius obiecti, *vel* plurium viribus coniunctis; in casu priore medicamentum, quo utimur, simplex, in altero compositum est. Cum in ceteris artibus, tum in medica arte, quae praxin respiciunt, ut quaeque simplicissima, ita elegantissima sunt; oportet igitur medicum non stolidē et ridiculē, sed prudenter, si per res, quae circumstant, fieri potest, elegantiae laudem affectare, nam medicamentorum simplicium exhibitio illa variorum acceptior est *vel* propter effectuum promptitudinem *vel* comparationis facilitatem *vel* quod singulorum ex eiusmodi oblatis virtus cognita sit et exhibentibus et utentibus, utpote quae sui generis, nec mixta ex diversis generibus est c).

## B 2

## §. IX.

c) *Diſcorides de paratu facilibus* (*ευπρότατα*) *pharmaciae*. Proem. p. I. ed. Saracen. Sic mercurium iam olim  
Sutton

§. IX. Neque tamen semper illam elegantiae laudem promereri potest medicus, quamvis ubique necesse sit ante oculos sibi proponat animumque; instructus itaque

*Sutton adiubuit in morbo variolofo, sed aliis medicamentis ita iimplicitum, ut ex praescripti farragine vix erui possit obiectum, ad quod vires sanantes sint restringendae.* Surrexit nuper cl. van Woensel, (Neue mit d. Mereur in d. Blattern gemachte Erfahrungen, w. dessen specifische Kraft in dieser Krankheit beweisen Leipzig 1783.) qui vim mercurii specificam in variolis naturalibus aequa, ac artificialibus expertum se gloriatur. Ex huius praescripto miscantur Calomel VII mac sublimationis grana duo cum sachari albi quantitate sufficiente, ut siant pulveres tres. Sumit quotidie aeger tres pulveres, dum eruptionis variolarum symptomata apparent; tunc potio ipsi exhibetur ex cremeris tartari solutione cum syrupo edulcorante. Utinam aliorum medicorum experimenta vim istius remedii confirmarent specificam; haec tenus nobis suspectum videtur cum ceteris specificis, quibus naturae scientia sufflaminatur magis, quam adiuvatur. Quid enim? si febris variolosa, ex cuius indole methodus medendi variolis ubique determinatur, ad febris putridae s. nervosae naturam accedit, an impune tulerit aeger mercurium, qui ut nervis inimicus, ita resolvens est efficacissimum? Metendum est certe, ne adeo perversa ratione utatur irrationalis medicus, cui specificorum usu nihil est exoptatus, ex quo vix ullam laudem capit ingenium.

itaque esse debet ea pharmaceutices parte  
magis medica, quae docet modum, sim-  
plicia medicamenta in efficaces, nec tamen  
ingratas formulas componendi.

§. X. Si compositionem ingrediuntur  
unius speciei obiecta, homogenea dici-  
tur; si diversae speciei sunt, heterogenea.  
De compositione homogenea quod dicam,  
non habeo; omnis enim medicaminum  
combinatio ad certum finem directa esse  
debet, sed huiusce generis confusa farrago  
non ex alia ratione fluit, quam medici  
ignorantia. Compositionum tam offici-  
narium, quam magistralium exempla lau-  
date, odiosum esset.

§. XI. Si compositionem instituimus  
heterogeneam; haec sunt potissimum  
quae spectamus. *Vel* id agimus, ut va-  
rias mutationes salutares una producamus  
in corpore, *vel* ut effectum nocivum pree-  
pediamus, cum vi medicamenti salutifera



connexum, *vel* ut effectus combinatus resultet ex reliquis sibi contrariis seque destruentibus. Ecce rationes, quas sequi deberes semper in construendis formulis! Medicamentorum sibi contrariorum mixtio si fortuito, non consulto, accidit, de medici in chemicis imperitia testimonium exhibet luculentissimum; et vera morbi natura, quae simplex eademque est, saepe negligitur, dum pluribus indicationibus compositione heterogenea satisfacere studemus.

§. XII. Cognitum est hactenus, habitum formulae externum, qui ad gustum, odoratum visumque redit, mixtione diversimode alterari. Sic alcali cum sale ammoniaco ingratum odorem spargit, et sulphur, in alcali fixo solutum acidoque coniunctum, odorem dat nidorosum; simili ratione gustum vel destruit inconcinna mixtio, vel etiam deteriorem reddit, quod accidit plerumque, si amara dulcibus, al-

ca-



calinis acida, acre quoddam calce metaili  
terrissve corrigere studeas e. s. p.

§. XIII. Sunt igitur cautelae quaedam chemicae observandae circa formula-  
rum structuram:

I. Ne sibi commisceantur medicamen-  
ta natura sibi contraria; nam absonta  
huius generis mixtio cum habitum  
externum, tum virtutem medica-  
menti internam destruit. Spiritus  
falis ammoniaci, cum acido nitri mix-  
tus, odore destituitur. Cave igitur,  
ne acida alcalinis, aut syrups spiri-  
tusve acidos emulsionibus addas; hac  
ratione fine necesse est excidat ex-  
spectata medicamenti virtus. Sed in  
aliis etiam exemplis medicaminum  
effectus fefellerunt medicum propter  
incongruum mixtionis genus; sic  
opinatur cl. *Cornette*, medicamenta,  
virtute attractrice dotata, vim eam-



dem habere praecipitantem in parti-  
culis regulinis tartari emetici, quam  
in solutionibus martialibus ea exse-  
rere notum est, eamque putat fuisse  
rationem, cur tartarus emeticus, in  
decocto chinato exhibitus, solito  
careret effectu d).

2. Ne componantur medicamina, quae per compositionem veneni naturam contrahunt, v. c. mercurius dulcis cum sale medio, multo minus cum acido.
3. Ne inter se misceantur obiecta, quae nullam affinitatem alunt, hinc aegre se amplectuntur; qualia sunt, loco exempli, oleum terebinthinae cum spiritu vini.

#### §. XIV.

- d) Hist. de la Soc. roy. de Med. Année 1779. avec les Mem. de Med. et de Physique medicale pour la même Année tirés des Registres de cette Société Par. 1782.

§. XIV. Cautelas istas in pharmaco-  
paeis neglectas fuisse ut plurimum, est,  
quod maxime doleas; nec defuere tamen  
egregii viri, qui rationes compositionum  
et vitia traderent, et demonstrarent, qua-  
ratione quodvis medicamentum ad pra-  
scriptos fines duci posset, ac confusam  
farraginem ex magnis compositionibus  
officinalibus expellerent. Inprimis huc  
pertinent :

*Dan. Ludovici, Med. Goth. diss. III. de  
pharmacia moderno seculo applican-  
da. Gothae 1671. (inclusum in primis  
ob liberum iudicium, quod de farra-  
ginibus incommodis medicamento-  
rum interposuit).*

*Zwelferi animadversiones in Pharmacopoeam Augustanam. Norimb. 1675.  
(vitia et ambages compositionum de-  
monstrare suscepit, novamque Re-  
giae nomine edidit Pharmacopoeam.  
Norimb. 1667.)*





*Grew* discourse concerning the nature causes and power of mixture. Lond.  
1675.

*G. W. Wedel* pharmacia in artis formam redacta. Ien. 1677. (continet artificia, quibus obtinetur, ut quam integerimae vires corporum, et quam appetissime in medicamenta transeant.)

*Ej.* de mdtorum compositione extemporanea. L. II. Ien. 1678.

*Iohannis Quincyi* lectures in Pharmacy. Lond. 1723.

*Chr. Gottl. Ludwig* (r. Brueckner) d. de medicamentorum contrariorum compositione. Lips. 1758.

*Baldinger* de optima medicamentorum mixtione progr. Goett. 1775.

§. XV. Quamvis igitur ab omni inde tempore absurdæ medicamentorum mixtiones non leve attulerint arti medicae detrimentum; ab altera tamen parte non minus

minus vituperandi mihi videuntur, qui plurium obiectorum in unam formam combinationem ceu prorsus inutilem reiiciunt. Cum mixtione qualitates medicamenti sensibiles mirum in modum alienantur; (§. XII.) a priore iam colligi potest per analogiae modum, vires medicamenti internas non absimili ratione modificari posse. A priore nihil equidem video, quod obstet; nec desunt a posteriore argumenta.

§. XVI. Inter Anglos clari fuere viri, qui medicamentorum mixtionem indeque oriundos effectus rite aestimarent. Sic censuit *Fordyce* e), compositiones medicaminum in universum simplicibus tum salubriores esse, tum efficaciores, et huius popularis, *Lewis*, grana quindecim Ialappae, cum granis duobus Ipecacuanae mixta, vim maiorem habuisse vidit, quam simplicis Ialappae quantitatem duplicatam f),  
et

e) *Lectures of the materia medica.*

f) *Levijon Versuch über d. Blut.* 1782. p. 9. 16.

28

et *Levison* simile quid observasse se ait in mixtione alterantium ac deobstruentium & relaxantium, quo nomine huius generis obiecta insignire solent recentiores, nam proh dolor etiamnum Materia Medica totidem fere titulos habet, quot effectus singula pharmaca vel praestant, vel praestare prohibentur. Sed maxime detinuit animum meum observatio, quae de tinctura thebaica Pharmacopoeiae Londinensis exstat apud *James Ware* g). Compositio haec est:

R. Opii ʒij.

Spiritus vini rectificati ʒiiij.

▽ cinnam. ʒXVj. digere per triduum,  
deinde cola.

Tinctura ista thebaica virtutem exilmiam hahuit in affectibus ophthalmicis. Quovis die oculo instillantur duae tresve guttulae; ut plurimum sensationem dolorificam excitant, quam vero minutis ali-  
quot

g) Remarks on the Ophthalmia, Pteropthalmia and purulent Eye, by *James Ware*. Lond. 1780.

quot praeterlapsis doloris sequitur mitigatione. Quandoque post primam iam applicationem levior fit inflammatio, et paucis diebus post tota plerumque evanuit. At inquit cl. Richter h), qui librum commemoratum laudat, ut ipsa eius verba producam: "nur die ganze Mischung, woraus die Tinctura thebaica besteht, thut diese guten Dienste, die einzelnen Ingredienzien derselben thun nichts. Oft hat d. V. eine Auflösung des Mohnsafts in Wasser versucht, und nie hat sie einen Nutzen geschafft. — Keins von allen bisher gerümten äusserl. Mitteln thut so viel, als dieses. — Das Decoct von Mohnköpfen thut etwas, aber bey weiten nicht so viel, als die Tinctura thebaica."

§. XVII. Ipecacuanam etiam cum tartaro emetico miscuere Heuermannus et Pringle, hacque ratione exhibuere aegrotis valde cacheeticis, testanturque medici, istam mixtionem longe facilius ciere vomitum,

h) Chir. Bibl. 6. B. 1. St.

tum, quam ipecacuanam vel tartarum simplicem, id quod expertus est cl. Selle i).

§. XVIII. Huc ducere possis Atropae Linnei s. Belladonnae cum rhabarbaro combinationem, quae melancholiam et maniam sanavit; combinationem mercurii cum salibus, quae ptyalagogum sistit tutissimum et lui venerae accommodatissimum; moschi cum camphora, quae egregie se gerit in morbis nervosis; florum Zinci cum flavedine corticis aurantiorum, qua sanitatem legimus epilepsiam. Nuperrime mihi innotuit, valeriana foliis aurantiorum mixta puellae, irregulariter menstruatae atque epilepsia inveterata laborantis, periodum menstruam fuisse restitutam atque Epilepsiam sanatam. Hinc forte explicari potest, quod saepe miratus sum, absurdissima officinarum composita optimo cum successu aliquando adhiberi in praxi. An magis ridicula excogitari potest compositio,

quam

i) Beitraege zur Natur- und Arzneiwissenschaft. Berlin  
1783. P. II. p. 20. 21.

quam illa *pillularum hydragogarum* IANINI? resolventium ac drasticorum inepta ista farrago? — Nihilo tamen minus egregium id esse remedium in hydrope pectoris sanando, sapientissimi fatentur atque in praxi luculentissima constituti medici.

§. XIX. Nec tamen necesse est, ut sexcenta in medium proferam observata; ex hactenus dictis satis constare nunc arbitror, simplicium laudem omnino esse restringendam, nec negligendam medicamentorum mixtionem a medico, quoties data fuerit occasio, ut effectuum, quae inde oritur, diversitatem inquirat. Sic ipsam naturam imitamur, quae ex dicto Empedoclis nihil aliud est, quam mixtio, et hinc iterum facti resolutio mixti. Vnius enim destructionem alterius esse restorationem, quotidie conspicitur in tribus naturae regnis, qua ratione omnia circulo volvuntur. Vegetabilia humum consumunt, eademque destructa in humum redeunt, unde ortus duxerant.

Ani-





Animalia nutriuntur vegetabilibus; origi-  
nem suam de novo quasi formant, emenso  
vitae curriculo; destruuntur quotidie lapi-  
des, destructis novi pariter generantur,  
et hac ratione perpetuae sunt vices re-  
rum. An forte ens simplex nullum datur  
in hac rerum natura? — Certe, quae  
simplicia apparent, obiecta non ea, qua-  
res compositae, energia mentem corporis  
que afficiunt; et rerum, quae nos ambi-  
unt, uniformitate defatigatur quam fa-  
cillime animus; et pathemata animi  
mixta omnium gravissima sunt. An eadem  
forte conditio est fibrarum corporis sensi-  
bility et irritability, ut ex sensitatis et  
irritabilitatis modificatione, cum omnium  
medicamentorum actiones non, nisi ad  
hanc sint relativae, virium deducas origi-  
nem, quas mixtione procreamus? Dedi  
equidem operam, certis legibus invenien-  
dis, sed non permittit hactenus abscondita  
irritabilitatis natura, ut quidquam certo  
definire possim.

---

WD 18  
Pica



1

# DE LAVDE MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM RESTRINGENDA

ILLVSTRIS AC GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E  
**D. IO. FR. GOTTL. GOLDHAGEN,**

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE NATURALIS  
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, CIRCVLI SALICI,  
COMITATVS MANSFELDENSIS ET CIVITATIS  
HALLENSIS PHYSICO

PRO  
GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
SOLEMNITER CONSEQUENDO

AD DIEM XXIX. SEPTEMBER. CICLOCLXXXIV.

H. L. Q. S.

PVBLINE DISSERET  
AVCTOR  
**ISAAC DAVID LEVI**  
HALLENSIS.

HALLAE  
TYPIS FRIDERIGI DANIELIS FRANCKE.

